Q. D. B. V.

IDEAM BONI MEDICI CASTRENSIS

INAVGVRALI HAC DISSERTATIONE ADVMBRATAM

AVTORITATE ET CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS IN INCLYTO NORIMBERGENSIVM LYCEO

PRO LICENTIA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORVM SOLENNI RITV CONSEQVENDI

PVBLICE EXAMINANDAM PROPONET


A. D. IV. APRIL. A. R. S. cIↃIↃcccxxI

AVGVSTVS FLECK

LEOSTEINENSIS MISNICVS.

ALTORFI NORIC.

LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.



PRAEFATIO.

Medicinæ præstantiam, & super alias artes atque disciplinas complures eminentiam, haud parum ex hoc æstimari posse arbitror, quod illa non pacis tantum, sed & belli tempore, usum conferat mortalibus amplissimum. Quin tunc inprimis elucet divinæ illius artis utilitas, quando bellum geritur, mutuisque cladibus populi atteruntur, neque sauciorum saltem, sed & variis morbis, fame, labore metu, terrore productis, oppressorum hominum multitudo existit. Tunc sane quemadmodum maior est necessitas Medicinæ, quam in pacato rerum statu, ita quoque ipsius benignitas clarius apparet, ubi omnibus promiscue afflictis, non amicis tantum, sed & hostibus captivis eadem opitulari contendit. Ex quo simul cognosci potest, quanta sit Medici castrensis *bene constituti dignitas, qui urgente adeo necessitate, cum periculo vitæ propriæ, compluribus, alias certo perituris, auxilium affert atque vi-*

 tam

tam conservat. Hac ipsa de causa vetustissimis temporibus celebrati sunt PODALIRIUS *&* MACHAON, Aesculapii duo filii, quod in bello Traiano ducem Agamemnonem secuti, non mediocrem opem commilitonibus suis attulerint, *idem hoc ex Iliade* Homeri *narrante* Celso. *Neque etiam post Aesculapii Numen antiquiores in historia commemorantur Medici, illis eius filiis, ut adeo per hos* ars Medica in castris veluti nata, certe plurimum amplificata, & illustrata *fuerit. Quæ vero quondam populis belligerantibus non tantum utilis sed necessaria plane visa fuit medicorum in exercitibus & castris præsens opera, eadem hodieque non minus apud omnes bene moratas gentes in pretio esse solet. Quo maior autem existit utilitas, atque dignitas eiusmodi* viri Medici, *ut is proprie* Homerico elogio *prædicetur*

Πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων:

eo facilius apparet, quod talis, siquidem officii sui gravitatem & gloriam tueri vult, singularibus, *partimque ultra communem Medicorum conditionem, eminentibus* quibusdam virtutibus ac proprietatibus *pollere debeat. Has igitur paulo curiosius inquirendas & declarandas,* inaugurali specimine *ut mihi sumerem, vel ideo non alienum a me esse putavi, quod & ipse aliquando idem vitæ genus atque munus amplecti desiderem, si Deo ita visum fuerit.*

I. Quam-

I.

QVamvis haud obſcurum eſſe exiſtimem, qualisnam officii ratio *Medici caſtrenſis* nomine generatim deſignetur, & quod eo ipſo intelligenda veniat *perſona, quæ ad Medicinam militibus faciendam conducta ſit*, paucis tamen ediſſerendum arbitror, quam late pateat illud nomen. Non tantum enim indicat *Virum, qui militum in caſtris valetudinem curat, ſed & qui remotos ab exercitu, vulneribus aut morbis afflictos, in Noſocomia collectos obſervat, & ſanat, denique etiam qui militibus in præſidio urbium & caſtellorum collocatis opem fert medicam.* Hæc functionum diſcrimina vulgatis atque receptis hodie titulis exprimi conſtat, ut nuncupentur Feld- Lazareth- Guarniſon-Medici. Quin etiam huc pertinent, *qui non tam gregariorum militum, quam Principum, Imperatorum aut Ducum militiæ valetudini proſpiciunt*, & communiter Leib- und Feld- auch General-Stabs-Medici dicuntur.

II.

Poſſe autem *unum eundemque Virum* omnibus illis muneribus, loco præcipue & quaſi unice diſtinctis, tempore ſaltem diverſo fungi, ut nemo facile negaverit, ita ſane dolendum eſt, quod hac noſtra ætate, Principum ac belli Ducum avaritia & negligentia tanta ſit, *ut amplo interdum exercitui nullus, ſæpe autem unicus conſtituatur Medicus*, qui & caſtra ſequi, in iisdemque tam milites gregarios quam Duces curare, inſuper etiam in præſidiis vicinis & Noſodochiis detentos, obſervare jubetur; quibus negotiis omnibus, & tam pro-

lixæ multitudini curandæ, unicum hominem ſufficere, tantum non incredibile eſt.

III.

Cæterum de *Chirurgis caſtrenſibus* quæri poſſet, num & ipſi in muneris illius partem veniant? Quamvis autem proh dolor! ad multas alias militum calamitates hoc etiam ſæpiuſcule accedat, ut in tanta paucitate, vel in abſentia legitimorum Medicorum, Chirurgi horum vicem ſuſtinere ſoleant, homines plerumque admodum rudes ac temerarii, quos non iniuſte nec illepide *tonſores aut vexatores campeſtres, ſive agreſtes* potius, quam *Chirurgos caſtrenſes* appellaveris: Cuiuscunque demum bonitatis ac peritiæ fuerint, tam ſuperioris quam inferioris ordinis, Regiments- und *Compagnie*-Feldſcherer / Medicorum tamen titulum iſti non merentur. Sunt enim ſaltem *miniſtri & famuli*, qui ad eorundem arbitrium & mandatum tractare ſaucios, & medicamenta ægris adminiſtrare tenentur. Idem quoque accipiendum eſt de *Pharmacopolis caſtrenſibus.*

IV.

Quod autem attinet ad *qualitates, quibus inſtructus eſſe debet Medicus caſtrenſis*, illæ quidem multæ ſunt ac variæ, partim *communes* aliis, medicinam laudabiliter facturis, partim *propriæ magis*. Ego, quæ *potiores* eſſe mihi videbuntur, breviter enarrabo. Primum igitur, *ex parte corporis, Medicum caſtrenſem acturi*, requiritur, *ut firma gaudeat valetudine*, & huius beneficio perferre queat frequentes illas & fere quotidianas ærumnas, modo frigoris, modo caloris, nunc famis, nunc ſitis, pravique victus, vigiliarum item ac itinerum incommoda, quibus nemo non expoſitus eſſe ſolet qui militiam ſequitur, tantum abeſt, ut Medicus ab iisdem liber in caſtris degere poſſit.

V.

Ad corporis laudabilem conditionem, & meliorem hinc *Medici castrensis* existimationem non parum facit, quando is *statura non admodum parva, sed habitu membrorum paulo robustiore, vultuque ad virilem gravitatem composito est praeditus.* Cum enim praecipua hominum pars, quibuscum ipsi res & negotium est, externis huiusmodi qualitatibus inprimis capiatur, talium praesentia utique plus fiduciae & obsequii erga Medicum suscitare poterit. Quare etiam consultum est, honestam illam naturalem corporis formam ac dispositionem, *decenti pariterque honesto vestitu* amplius exornare. Et haec quidem talia cumpluraque alia externa, quamvis ad τὸ εὖ εἶναι saltem conducant, iam pridem tamen serio commendavit *Hippocrates* locis variis, praesertim *libellis de Medico ac decenti ornatu*; ubi is etiam ex altera parte cavendam admomonet περιεργίαν, sive *nimiam in exornando corpore curiositatem, motuumque ac gestuum singularium affectationem.*

VI.

Maioris autem utique momenti & necessitatis res est *integritas sensuum, quos externos vocant*, praecipue *visus & auditus*, quorum ministerio signa & status morborum cognosci imprimis debent. Neque etiam *tactionis* acie usuque expedito carere *Medicus castrensis* commode potest, non solum ad explorandum sanguinis per arterias motum, aut pulsum, sed etiam ad tumorum, luxationum, fracturarum, telorum inintra corpus haerentium &c. conditionem pernoscendam. De *olfactu* & *gustatu*, per jocum hoc dixerim, *hos sensus Medico castrensi exoptandos esse hebetiores*, ita enim multum fastidii devitabit, quod communis militum squalor atque frequens laborantium foetor, tum & alimentorum vitia malaeque praeparationes homini delicatiorum narium atque palati afferre solent.

VII.

VII.

Circa *ætatem*, quæ *militaris Medicinæ* exercitationi maxime idonea & conveniens ſit, vix quicquam determinare audeo, quo magis conſtat frequentibus exemplis, tam *juvenes* quam *ſenes* eandem ſpartam æque feliciter ac laudabiliter ſuſtinuiſſe. Videtur tamen *ætas media & virilis*, aut certe *juvenilis paulo provectior*, ceteris paribus, opportuna imprimis eſſe, quod tunc non minus animi quam corporis alacritas & robur integrum exiſtere ſoleat. Sicut autem *adoleſcens* aut *valde juvenis*, etiamſi doctus & rei Medicæ gnarus, propter ſolum ætatis ſuæ præjudicium, facile in contemtum adduci poteſt, ita ex adverſo de *ſenectute*, in reſpectu ad *officium Medici caſtrenſis*, idem uſu venire poteſt, quod de vita militari generatim Poeta cecinit,

Turpe ſenex miles.

Certe *ſenilis ætas*, uti variis calamitatibus obnoxia communiter eſt, ac *ipſe morbus* adagio dicitur, ad perferendas illius muneris ærumnoſi moleſtias incommoda plurimum apparet.

VIII.

Animi autem *virtutes*, quibus pollere decet *Medicum caſtrenſem*, primario quidem *in ſagaci rectoque iudicio* conſiſtunt, ut morborum naturam, cauſas & ſtatum bene cognoſcere, & *valde ſimilia prudenter diſtinguere* poſſit; deinde, ut indicantibus illis rebus congruentia indicata ſive remedia invenire ac tempeſtive præſcribere queat. Inſuper hæc *conſilio promptus* eſſe debet; atque *ad agendum expeditus*. Cum enim inter milites celeria plerumque morborum genera graſſentur, e. g. febres acutæ ac malignæ, dyſenteriæ, pleuritides, periculoſa vulnera, & quæ his frequenter ſuperveniunt, hæmorrhagiæ immodicæ & gangrænæ &c. talibus ſane malis curan-

curandis ac profligandis celeri utique opus eſt auxilio, & ſæpe ideo *ex arena* (quod dicitur) *capiendum eſt conſilium.*

IX.

Decet porro *Medicum caſtrenſem*, *ut animo ſit intrepidus & immiſericors*, eo quidem ſenſu, quo *Celſus* idem ſeorſim in chirurgo illius generis requirit, *ut ſanari velit eum quem accepit*, *non ut clamore ejus motus*, *vel magis quam res deſiderat*, *properet*, *vel minus quam neceſſe eſt*, *ſecet* (aut remedia quæcunque inſuavia, dummodo utilia adhibeat) *ſed perinde faciat omnia ac ſi nullus ex vagitibus alterius affectus oriretur.* Illam vero animi conſtantiam ac fortitudinem moderari convenit ſolicita quadam *circumſpectione*, cavendo tamen ne hinc ad *alterum timiditatis extremum* fiat tranſitus: hæc etenim in Praxi Medica damnoſior interdum evenire ſolet ipſa *audacia*; quemadmodum *Aemilius Campolongus*, magni quondam nominis Profeſſor Medicinæ Patavinus, hoc aliquando dixiſſe fertur: *audaciæ nunquam pœnituit me*, *timiditatis ſemper.* Siquæ autem iuſta ſolicitudo animum occupaverit, diſſimulare hanc quodammodo conſultum eſt, ne ægrotus, Medicum perturbatum conſpiciens, de ſalute ſua ipſemet deſperet.

X.

Quando vero *manifeſtum* adeſt *vitæ periculum*, id non penitus occultare, quin potius laboranti homini, aut certe amicis eius, vel etiam ſuperioribus aperire decet, atque adeo ex *Corn. Celſi Lib. V. cap.* 26. pleno prudentiæ conſilio: *Vbi gravis metus*, *ſine certa tamen deſperatione eſt*, *indicare neceſſariis periclitantis*, *in difficili rem eſſe*: *ne*, *ſi victa ars malo fuerit*, *vel ignoraſſe*, *vel fefelliſſe videatur. Sed ut hæc prudenti viro conveniunt*, *ſic rurſus hiſtrionis eſt*, *par-*

vam

vam rem attollere, quo plus præstitisse videatur: hæc ille. Vt vero, sive periculum minitanti, sive salutem auguranti, & quicquid huius in gratiam, aut faciendum aut omittendum sit, præcipienti Medico fides habeatur, *eloquentia* ipsi opus est ad persuadendum; quæ quidem ita temperari debet, ne *loquacitatis* speciem præ se ferat. Sæpe etiam necesse est *gravi sermone verbisque asperis* ægrotantes in officio continere: Quia enim milites severo in universum imperio astricti & assuefacti iam sunt, non admodum alia ratione a Medico tractari volunt, aut certe satis commode queunt.

XI.

Quas hactenus proposui *qualitates animique dotes*, *Medico castrensi* necessarias, tametsi quædam *a natura* possint ac soleant obtingere, complures tamen *disciplina & exercitatione* adipiscendas esse, vel me tacente, nemo non intelligit. Quare, quod *Hippocrates*, in sua Lege, a quovis Medicinam feliciter facturo, post naturæ & ingenii bonitatem requirit, primum est *institutio a puero*, & quidem *in loco ad disciplinam apto*. Hanc etiamsi *Scholæ* & *Academiæ*, in quibus, præter alias utiles scientias & artes, *medicina* quoque docetur, inprimis constituunt, & sane *ex viva voce & doctrina* fidelium artis Professorum ejusdem exercendæ fundamenta communiter & quam tutissime hauriuntur; illis tamen probe jactis, oportunum est ad *ipsam praxin* (quæ dicitur) *clinicam*, *in Nosodochiis* præsertim amplioribus ac bene dispositis se applicare, *fido* iterum *ac perito Doctore præeunte*. Plurimum vero ad *Medici castrensis* spartam rite ornandam se habilem is reddet, cui licitum est *ipsis in castris* medicinam facienti experto cuidam viro sæpius assistere; ita enim eorum affectuum, quibus milites præ aliis hominibus familiariter laborant, naturas atque curationes mature cognoscet.

XII. Por-

XII.

Porro non parum proderit *attenta lectio eorum librorum*, *qui castrensis medicinæ* prudenter ac feliciter exercendæ, tam generalia quam specialia *præcepta*, *&* *observationes*, eo etiam spectantes, *accurate complectuntur*. Sunt etenim heic quoque *optimi sæpe consultores mortui*, & scriptorum talismodi bonæ fidei *sedula evolutio ac prudens inter se collatio* ad memoriam juvandam & judicium medentis probe informandum haud exiguam confert utilitatem. Quod cum ita persuasum mihi habeam, non possum quin eorum, quos *de militari medicina divulgatos*, aut ipse vidi, aut ab aliis notatos inveni *libros atque tractatus* breviter recenseam.

XIII.

Inter antiquos autem nemo occurrit, ad hunc censum referendus, potior *Hippocrate*, cujus non solum *supra jam laudata opuscula*, sed & *de affectionibus & epidemiorum diversi libri*, nec non *de officina Medici*, *de fracturis*, *articulis*, *vulneribus capitis*, pluresque alii, pleni sunt axiomatum ad Medicinam cum alias, tum in castris præsertim provide faciendam utilium; quamvis omnes, exceptis tribus illis primo loco positis, ad Chirurgicorum magis quam aliorum affectuum cognitionem atque curationem pertineant; neque etiam ad hodiernum Medicinæ statum præcepta illorum omnino quadrare puto, commendandos tamen ac legendos vel ideo existimo, si quis ex ipsis quasi fontibus haurire observationum & experimentorum vetustissimorum notitiam gestiat. Ceterum optima quæque istius *Hippocraticæ doctrinæ* momenta in *posteriores* suos *de re Medica libros* accurate transtulit, & meliori ordine disposuit atque locupletavit *Aur. Corn. Celsus*, quem propterea consuluisse pariter haud pœnitebit.

XIV.

Reliqui *veteres Medici ſcriptores*, ſupra illos, quod ad rem faceret, parum adieciſſe mihi quidem videntur, ut lubens eos prætermittam. *Inter recentiores* autem extat *Arnaldi de Villanova regimen caſtra ſequentium*, reliquis ipſius libris inſertum p. m. 812. quod tamen quia breve admodum eſt, nec paucas continet ineptias, parum iuvabit lectorem. Primus autem, quantum mihi conſtat, qui notatu dignum aliquod *ſyſtema Medicinæ militaris* perfecit, *Raymundus Minderer*, Archiater quondam Bavaricus, & Reip. Auguſtanæ Phyſicus fuit, cuius opuſculum, eo ipſo titulo, vernacula lingua editum Anno 1621 non modo quæ ad Therapiam, ſed & prophylaxin morborum caſtrenſium pertinent, multaque alia, Medicum perinde ac ipſos milites, ad valetudinem curandum inſtruentia, candide & erudite complectitur, tanto magis æſtimandum, quo magis a propria autoris, inter milites ſæpe multumque verſati, experientia id profectum eſt.

XV.

Qui poſt *Mindererum* ſimile ſecuti eſſent inſtitutum, & *caſtrenſem Medicinam ſyſtematice* tradidiſſent, vix ullos deprehendo. Recenſetur equidem *in Lindenio renovato* p. 296. *Franciſci Romani liber de militaris Medicinæ conditione*, qui editus ſit *Neapoli*, ſed citra anni & formæ deſignationem; ut fere dubium videatur, an nunquam iſte liber in publicam lucem prodierit. Revera autem extant *duo illius argumenti opuſcula Iani Abrahami a Gehema*, Equitis Poloni & Med. Doctoris, qui & ipſe antehac tribuni militum officio functus fuit. Alterum ex iis Hamburgi impreſſum 1684. in 12. inſcribitur Wohlverſehener Feld-Medicus, varios inſectatur *abuſus circa Medicorum & Chirurgorum caſtrenſium*

sium constitutionem & praxin, docetque qua ratione illis occurrendum sit, præterea etiam ostendit quibus medicamentis *Pharmacopolium castrense* instrui debeat. Hoc ipsum autem amplius in altero tractatur opusculo, cui autor titulum fecit, der Krancke Soldat: Editum id est Anno 1690. eadem quo prius forma. Continet vero utilem sane parænesim ad militiæ præfectos ac belli duces, ut meliorem, quam communiter fieri solet, curam suscipiant suorum militum, eorumque valetudini, tam diæteticis rebus, quam pharmacevticis atque chirurgicis remediis decenter succurrant.

XVI.

Apprime autem hic notari merentur illi autores, qui *de morbis castrensibus* seorsim scripserunt, eo maiori in pretio habendi, quo pauciores existunt. Breve quidem est, sed ad usum practicum perutile opusculum *Danielis Ludovici, de morbis castrensibus*, lingua vernacula conscriptum, ac denuo cum eiusdem *libellis de dysenteria aliisque morbis epidemicis* editum a *Davide Kellnero*, Gothæ 1685. in 12. Paulo prolixior, nec minus elegans est *Joh. Valent. Willii de morbis castrensibus internis*, Hafniæ 1676. in 4. Agitur in eo non solum *de morbis castrensibus in genere*, sed & speciatim *de peste, febribus malignis, scorbuto, lue Gallica, catarrhis, debilitate ventriculi, alvi profluviis*, horumque affectuum singulorum tam præservatione tam curatione. Porro extant *Tobiæ Coberi*, quondam Physici castrensis Cæsarei, *observationum Medicarum castrensium Hungaricarum decades tres*, in usum publicum recusæ, cum indice & præfatione *Henr. Meibomii*, Helmstadii 1685. in 4to. cuius certe libri lectio Medicis, ad milites curandos conductis, non poterit non esse perquam fructuosa, quoniam exemplis luculentis, & individuorum curationibus fideliter traditis naturam atque indolem morborum ejus generis insigniter illustrat.

XVII.

Superſunt equidem fortaſſe plures libri, *de morbis caſtrenſibus*, & *militari medicina*, mihi nondum viſi; quemadmodum in catalogis memoratum invenio, *Antonii Snebergeri de bona militum valetudine conſervanda* librum, Cracoviæ 1564. in 8. nec non *Martini Dickelii antidotarium militare*, quod Ienæ 1627. in 12. divulgatum, de communioribus belli tempore affectibus tractare perhibetur. Erunt vero etiam iſti forſan minoris momenti. Taceo quoque complura *diverſorum autorum ſcripta*, & *diſſertationes* inprimis *academicas*, quæ unius duntaxat morbi caſtrenſis evolvunt hiſtoriam atque curationem. Sic de ſola *febre caſtrenſi maligna*, quæ vulgo *Hungarici morbi* nomine venit, longam ſcriptorum enumerationem inſtituere liceret, perinde ut eorum, qui de *dyſenteria caſtrenſi* egerunt: ſed iis omnibus nominatim proferendis ſuperſedeo, non, quod inutilem caſtrenſi Medico talium perluſtrationum arbitrer, ſed quod in tanta multitudine delectu opus eſſe cenſeam, quem quidem inſtituere iudicii mei tenuitas & modeſtia prohibet, eoque libentius abſtineo, ne videar Medicum in caſtris verſaturum, cui ſane curta eſſe debet ſupellex, amplo bibliothecæ apparatu onerare velle.

XVIII.

Non tantum vero *internorum affectuum*, qui in militia frequenter occurrunt, ſed & *externorum*, *quæ ad Chirurgiam referuntur malorum* notitiam habere debet *caſtrenſis Medicus*, & adeo ipſius *chirurgiæ* haud leviter eſſe peritus. Profecto enim crebriores ferme ſunt caſus *vulnerum*, *contuſionum*, *fracturarum*, *ambuſtionum*, (præſertim quando bellum ſerio agitur pugnis & obſidionibus) quam morborum internorum, quibus milites magis otioſe in caſtris atque præ-

ſidiis

ſidiis viventes corripiuntur. Tametſi autem illis, ab externa vi ortis corporum læſionibus curandis, *chirurgi caſtrenſes* communiter ac velut unice præfecti habeantur, quorum etiam (dummodo eruditi & exercitati bonique ſatis ſint) curæ ac fidei negotium iſtud, levioribus præcipue caſibus, & prima quaſi inſtantia relinquendum eſt, *gravioribus* tamen *malis* ſuccurrere, & arduas ancipitesque operationes, e. g. *profundas* (telorum inhærentium cauſa) *ſectiones*, *cranii trepanationes*, *membrorum amputationes* &c. dirigere debet ipſe *præſens Medicus caſtrenſis*, & in univerſum iſtud genus hominum, plerumque iuſto minoris ſcientiæ & conſcientiæ, in officio ſuo diligenter continere atque corrigere.

XIX.

Vt igitur huic etiam parti muneris ſui ſatisfacere queat *Medicus caſtrenſis*, idem quod in §. XI. iam notavi, *ſubſidium inſigne*, *matura ſcilicet ac ſedula talium rerum in caſtris & noſodochiis obſervatio*, & frequens ad easdem *manuum applicatio*, maximi eſt momenti. Quare iamdudum *Hippocrates in libello*, quem *Medicum* inſcripſit, illis qui ad graviorem iſtam chirurgiam pernoſcendam & exercendam idonei cupiunt fieri, conſilium dedit, *ut militiam & exercitum ſequantur*. Cum enim affectus illi externi plerumque oculis facile percipiantur, ad eorundem quoque tractationem rite addiſcendam crebrior avtopſia non poterit non prodeſſe plurimum.

XX.

Quam autem ſupra, ad morbos caſtrenſes internos, bene cognoſcendos atque curandos, profuturam oſtendi *optimorum autorum lectionem*, eadem non minus erit utilis *circa externos affectus & chirurgicos caſus*; quemadmodum etiam conſultum eſt, ea penitus habere perſpecta, quæ generaliter

ad

ad *officium chirurgi castrensis* pertinent. Tales *institutiones*, sub titulo Neue Feldscherer-Kunst / edidit *Joh. Agricola*, Francofurti 1634. in 12. concisas quidem, sed quæ complures *practicas cautiones* & præcipue *chimicorum remediorum applicationem ad chirurgiam* pulchre edocent. Locupletior tamen est *Matth. Gottofr. Purmanni opus*, eiusdem argumenti, quod Lipsiæ anno 1693. in 8. prodiit. Illius etiam autoris extant, eodem anno, forma & loco publicatæ, *historiæ & curationes quinquaginta vulnerum sclopetis inflictorum* (Schuß-Wunden-Curen) eruditissime profecto consignatæ. Nec minoris pretii sunt *Joh. Caspari Schvvarzii observationes vulnerum, cæsim, punctim & alio modo factorum*, (Vier Dutzent Anmerckungen von gehauenen / gestochenen / und andern zufälligen Wunden) Hamburgi 1713. in 8. His e Gallorum natione addo scriptorem nuperum, *Belloste*, cuius liber (Hospital- und Lazaret-Chirurgus) in nostrum idioma translatus est Dresdæ 1703. in 8. Exhibet autem *omnis fere generis vulnerum exempla atque curationes*, & inprimis demonstrare nititur, *quomodo pleraque sanari queant sine turundis*; quarum quidem abusum adeo vituperat, ut usui exiguus aut vix ullus relinquatur locus.

XXI.

Horum aliorumque scriptorum, qui *Medicinam chirurgicam in castris* ipsimet diu exercuerunt, propriasque observationes suas fideliter recensuerunt, attenta consideratio, ad similia feliciter tractanda non parum sane commodare poterit; quo magis alias (dictitante *Seneca*) *longum est per præcepta iter, breve & efficax per exempla.* Quapropter bene sibi consulet, qui, ubicunque tempus & occasio permittunt, istiusmodi *observationum Medico-chirurgicarum libros* studiose pervolvit; quales mihi præ ceteris commendandi videntur

dentur *Guil. Fabricii Hildani*, *Jobi de Meeckren*, *Heinrici de Roonhuyſen*, *Joh. Muys*, *Ido Wolfii*, quibus haud immerito annumerandas exiſtimo laudati *Purmanni* noviſſimas *obſervationes chirurgicas*, anno 1710. in 4. excuſas. Neque carebit fructu multiplici eorum autorum lectio, qui *unum alterumve chirurgiæ caput* ſpeciatim attigerunt, e. g. *Jac. Berengarii Carpenſis de fractura cranii*, & *Waltheri Schulzii* eiusdem argumenti tractatus, *Franciſci Botalli* & aliorum, qui cum eo prodierunt, *de vulneribus ſclopetorum*, *Hildani* modo citati *de combuſtionibus*, *igne*, *pulvere tormentario* &c. *factis*, nec non de *gangræna & ſphacelo* &c.

XXII.

Sed quando *Hildani* mentionem denuo facio, ſuccurrit ejusdem quoque *ciſta militaris*, *ſive conſignatio earum rerum*, *inſtrumentorum ac medicamentorum*, *quibus ad curandos milites in caſtris opus eſt*. Ac decet profecto de illis ſolicitum eſſe *Medicum caſtrenſem*, adeoque *rei pharmaceuticæ haud leviter gnarum*. Quamvis enim amplo exercitui non raro proſpici ſoleat *neceſſario pharmacopœiæ apparatu*, eidemque ſingularis artifex cum miniſtris præficiatur, *debet tamen hic etiam Medicus caſtrenſis director eſſe omnium*, & providere, ut quantitate & qualitate legitima præſto ſint ac rite non minus præparentur quam diſpenſentur remedia, denique ut *ſuperiorum & inferiorum chirurgorum ciſtæ* (Regiments- und Compagnie-Feld-Kaſten) probe inſtruantur. Talis quidem apparatus deſcriptiones & paradigmata a variis, præter *Hildanum*, autoribus tradita eſſe non dubito; perplacet autem inprimis laudatiſſimi *Ludovici delineatio pharmacopœiæ caſtrenſis*, quam opuſculo ſuo ſupra deprædicato adjecit. In ea ſane vir optimus demonſtrat, quomodo ſumptibus exiguis ad pleroſque caſus

 inſtrui

instrui queat *pharmacopolium castrense*; quod consilium sequi aut imitari tanto utilius erit, quanto gratius existit ducibus atque præfectis militiæ, si in valetudinem miserorum militum quam minimi sumptus fiant. Ego vero manum de tabula: tametsi plura, *ideam boni Medici castrensis* collustrantia, afferre in medium possem, persuasum tamen habeo, neminem, qui enarratis *qualitatibus & requisitis* pollet, isto titulo indignum aut ad rem laudabiliter gerendam ineptum fore.

S. D. G.

Pag. 4. lin. 3. leg. *Troiano*. pag. 5. lin. 20. leg. *muneribus*. pag. 7. lin. 25. del. *in*.

CHara mihi Soboles, Medici Castrensis ideam
Praesens demonstrat Tua Dissertatio docta,
Vt sis forensis Medicus, Castrensis ut audis,
Insuper eripias aegrorum corpora letho,
Vt bene procedat quaeuis curatio coepta,
Ex animo toto Genitor *Tuus optat orante.*

AVGVSTVS FLECK,
Pastor Leostein. & Praefect.

Du

Du zeigst / Herr DOCTORAND! in diesem
Werck anheute /
Was ein Feld-Medicus, an statt der Sieges-Beute /
Zu observiren hat / wann er sich in dem Feld
Bey allen stellet ein / als ein beliebter Held.
Vermuthlich wilst Du uns durch dieses demonstriren /
Was Du gesonnen bist forthin zu practiciren /
Und legst / statt einer Prob / gelehrt und rühmlich dar /
Worinn Du Dich geübt bißhero etlich Jahr.
Nun kanst Du recht vergnügt die süsse Ruh erlangen /
So kanst Du als ein Mann mit Wissenschafften prangen /
Da Du in Studien Dich Tag und Nacht geübt /
Und deren Nectar stets für allen hast geliebt.
Diß hast Du / Werther Freund! auch in der That bezeigt /
Dann Du warst jederzeit den Studien geneigt /
Die kluge Wachsamkeit hieltst Du im gröstem Werth /
Ja ein geschicktes Buch war stets Dein Tummel-Pferd.
Du suchtest jederzeit mit Wissenschafft zu grünen /
Auch jetzt dem Vatterland mit guter Frucht zu dienen.
Drum wünschet tausend Glück zu Deinem neuen Stand
Ein sehr getreuer Freund mit Herzen / Mund und Hand.

STEPHANVS BAVRIEDEL,
p. t. Pastor Altenthannensis.

DOctrinam in pretio quis perneget eſſe? reſurgit,
Altior, & merita laude ſuperba viget.
TVque etiam, FLECKI, claras exculte per artes
Oſtendis ſtudii clara tropoea Tui.
En favet ipſa Hygie, fortunatosque labores,
Vtque TIBI cedant proſpera quaeque, vovet.

Nobiliſſimo nec non Doctiſſimo DN. LICENTIATO, Affini honoratiſſimo, amicitiae & honoris gratia pauca haec adiecit

M. SAMVEL NAVMANN,
p. t. Paſtor Fürſtenwald. & Fürſtenau.

SEdulitas comitem meritum quod ſervet honorem,
Hoc doctum ſpecimen magis, AMICE, probat.

Hæc pauca Nobiliſſ. atque Pereximio DN. LICENTIATO gratulabundo animo apponere voluit

IOH. MATTH. Frauendiener/
Med. Stud. *Oppon.*

